

- [1] Quid ista circumspicis, quae tibi possunt fortasse ēvenīre sed possunt et nōn ēvenīre? Incendium dīcō, ruīnam, alia quae nōbīs incidunt, nōn īnsidiantur: illa potius vidē, illa vītā quae nōs observant, quae captant. Rārī sunt cāsūs, etiamsī gravēs, naufrāgium facere, vehiculō ēvertī: ab homine hominī cotīdiānum perīculum. Adversus hoc tē expedī, hoc intentīs oculīs intuēre; nūllum est malum frequentius, nūllum pertinācius, nūllum blandius.
- [2] Tempestās minātur antequam surgat, crepant aedificia antequam corruant, praenuntiat fūmus incendium: subita est ex homine perniciēs, et eō dīligentius tegitur quō propius accēdit. Errās sī istōrum, tibi quī occurrunt, vultibus crēdis: hominum effigiēs habent, animōs ferārum, nisi quod illārum perniciōsus est prīmus incursus: quōs transiēre nōn quaerunt. Numquam enim illās ad nocendum nisi necessitās incitat; aut fame aut timōre cōguntur ad pūgnam: hominī perdere hominem libet.
- [3] Tū tamen ita cōgitā, quod ex homine perīculum sit ut cōgitēs quod sit hominis officium; alterum intuēre nē laedāris, alterum nē laedās. Commodīs omnium laetēris, moveāris incommodīs, et memineris quae praestāre dēbeās, quae cavēre.
- [4] Sic vīvendō quid cōsequāris? Nōn tē nē noceant, sed nē fallant. Quantum potes autem in philosophiam recēde: illa tē sinū suō prōteget, in hūius sacrārīō eris aut tūtus aut tūtior. Nōn arietant inter sē nisi in eādē ambulatēs viā.
- [5] Ipsam autem philosophiam nōn dēbēbis iactāre; multīs fuit perīculī causa, īsolenter tractāta et contumāciter: tibi vitia dētrahat, nōn aliīs exprobret. Nōn abhorreat ā pūblicīs mōribus nec hoc agat, ut quidquid nōn facit damnāre videātur. Licet sapere sine pompā, sine invidiā. Valē.